Pius Episcopus servus servorum dei Dilecto filio Hieronimo Antonio …rim Sano clerico Venetiarum Salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis circumspecta benignitas ecclesiis et monasteriis singulis que vacationis incomoda deplorare noscuntur ut gubernatorum utilium fulciantur presidio prospicit diligenter ac personis ecclesiasticis quibuslibet presertim nobilitate generis pollentibus ut in suis opportunitatibus continuum suscipiant relevamen de subventionis auxilio prout decens est providet opportuno. Necnon cupientibus vitam ducere regularem ut eorum pium propositum ad laudem divini numinis adimplere valeant apostolico presidio adesse convenit ac circa statum ecclesiarum et monasteriorum eorundem prospere dirigendum operose diligentie studium libenter impendit ut ipsis ne longe vacationis pregraventur incomodis de celeris provisionis remedio succurratur. Cum itaque sicut accepimus Monasterium sancti Thome Burgundiorum Cisterciensis ordinis Torcellan. dioc. cui quondam Joannes Trivisanus ipsius Monasterii Abbas dum viveret presidebat per obitum eiusdem Joannis qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacaverit et vacet ad presens. Ac tu ob meliorem vite frugem cupias in dicto Monasterio una cum dilectis filiis illius Conventu sub regulari habitu virtutum Domino famulari. Nos cupientes te in huiusmodi tuo laudabili proposito confovere et tam Monasterio predicto de gubernatore et ne longe vacationis exponatur incomodis de persona secundum cor nostrum utili et idonea per quam circumspecte regi et salubriter dirigi quam tibi qui ut asseris de nobili genere procreatus existis ut commodius sustentari valeatis de alicuius subventionis auxilio providere volentes. Ac sperantes quod tu cui apud nos de religionis zelo vite munditia honestate morum spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur eidem Monasterio esse poteris plurimum utilis et etiam fructuosus Teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes motu proprio Monasterium predictum cuius fructus redditus et proventus ad Trecentos et viginti quinque florenos auri in libris Camere apostolice taxati reperiuntur sive ut premittitur sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam cessionem dicti Joannis Abbatis vel cuiusvis alterius de illius regimine et administratione in Romana Curia vel extra eam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam vacet etiam si tanto tempore vacaverit quod eius provisio iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones ad sedem predictam legitime devoluta existat et illa ex quavis causa ad sedem prefatam specialiter vel generaliter pertineat et de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat et super eisdem regimine et administratione inter aliquos lis aut super illorum possessorio vel quasi molestia cuius statum necnon verum et ultimum dicti Monasterii vacationis modum etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet presentibus haberi volumus pro expressis pendeat indecisa dummodo tempore dat. presentium eidem Monasterio de Abbate provisum seu illud alteri commendatum canonice non existat cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te ad sex menses a die habite per te regiminis et administrationis predictorum ac ipsius Monasterii bonorum pacifice possessionis seu quasi computandos dumtaxat tenendum regendum et gubernandum Ita quod liceat tibi interim debitis et consuetis Monasterii et Conventus predictorum supportatis oneribus necnon Quarta si Abbatialis separata et seorsum a Conventuali si vero communis inibi mensa fuerit Tertia parte omnium et singulorum fructuum redditum et proventuum eiusdem Monasterii in restaurationem illius fabrice seu ornamentorum emptionem vel fulcimentum aut pauperum alimonia prout maior exegerit et suaserit necessitas aliisque … oneribus … annis singulis impartita de residuis illius fructibus redditibus et proventibus disponere et ordinare sicuti ipsius Monasterii Abbates qui pro tempore fuerunt de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt. Alienatione tamen quorumcunque illius bonorum immobilium et preciosorum mobilium tibi penitus interdicta apostolica auctoritate commendamus. Et deinde postquam habitum per monachos dicti Monasterii gestari solitum susceperis et professionem per eosdem emitti solitam expresse emiseris ex nunc prout ex tunc et e contra de persona tua eidem Monasterio providemus teque illi in Abbatem preficimus ac ei de dicta persona tua provisum teque illi in Abbatem prefectum fore decernimus Curam regimen et administrationem ipsius Monasterii tibi etiam dicta durante commenda in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Quocirca venerabili fratri nostro Archiepiscopo Corcirensi et dilectis filiis Vicariis venerabilium fratrum nostrorum Patriarche Venetiarum et Episcopi Torcellan. in spiritualibus generalibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi in adipiscenda possessione seu quasi regiminis et administrationis predictorum ac bonorum dicti Monasterii auctoritate nostra assistentes faciant tibi a Conventu prefatis obedientiam et reverentiam debitas necnon a dilectis filiis vassallis et aliis subditis dicti Monasterii consueta servitia et iura tibi ab eis debita etiam commenda durante predicta integre exhiberi Ac lapsis dictis sex mensibus vel etiam antea si volueris et si sis idoneus et aliud canonicum non obsistat in eodem Monasterio in monachum recipiant et in fratrem eadem auctoritate nostra tibique regularem habitum iuxta ipsius Monasterii consuetudinem exhibeant ac te inibi sincera in Domino charitate tractari faciant necnon a te professionem predictam si eam in eorum vel alicuius eorum manibus sponte emittere volueris hac vice dumtaxat recipiant et admittant Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. viii. predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus Ac Monasterii et ordinis predictorum iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus necnon privilegiis indultis et litteris apostolicis Monasterio et ordini prefatis ac illorum superioribus et aliis personis etiam per pie memorie Eugenium iiii. Martinum v. Nicolaum etiam v. Calixtum iii. Pium ii. Sixtum etiam iiii. Innocentium viii. Clementem vii. Paulum etiam iii. Pium similiter iiii. et quoscunque alios Romanos Pontifices predecessores nostros ac nos et sedem eandem etiam per modum statuti perpetui aut contractus vel quasi et alias quomodolibet et ex quibusvis causis etiam Motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine et ad instantiam seu considerationem vel intuitu aut contemplatione quorumvis etiam consistorialiter ac cum quibusvis efficacissimis et insolitis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis ac cum appositione irritantis decreti eius quod contra illa vel eorum aliquod in totum vel in partem scienter vel ignoranter attemptari contigerit etiam iteratis vicibus concessis approbatis et innovatis ac quocunque etiam longissimo et immemorabili tempore observatis etiam si in eis ac statutis predictis caveatur expresse quod prefato seu aliquo alio dicti ordinis Monasterio per cessum vel decessum Abbatis illi presidentis pro tempore vacante illud nullo pacto cuiquam commendari possit nisi pro conservatione auctoritatis dicte sedis et ad occurrendum malitiis illam impugnantium pro temporis qualitate prout Romano pontifici pro tempore existenti de fratrum suorum consilio visum fuerit expedire sed illi de persona idonea iuxta constitutionem recolende memorie Alexandri pp. vi. similiter predecessoris nostri in Lateranensi concilio editam provideatur et illi idoneus Abbas prout decet preficiatur Quodque provisiones et quevis alie dispositiones Monasteriorum eiusdem ordinis etiam per sedem predictam pro tempore facte nullius roboris vel momenti sint nisi iuxta regularia instituta dicti ordinis dicta auctoritate confirmata ac de consensu patrum Abbatum immediate superiorum ordinis et dilectorum filiorum Conventuum Monasteriorum eorundem et alias sub certis inibi expressis modo et forma facte fuerint quodque commendis et provisionibus ac aliis dispositionibus aliter quam ut prefertur factis non obstantibus Conventus ad electiones et superiores predicti aut eorum commissarii ad illarum confirmationes alias iuxta statuta predicta et dicti ordinis laudabiles consuetudines procedere possint Quodque Monasteriis huiusmodi quomodocunque vacantibus per electionem canonicam per dictos Conventus de personis ordinem ipsum expresse professis et in probatus ordine constitutis ac vocatis eiusdem ordinis patribus Abbatibus faciendam omni impedimento cessante provideri debeat ac Conventibus prefatis eligere negligentibus ius providendi dictis monasteriis pro illa vice ad immediatos patres Abbates devolvatur ipsique patres Abbates et Conventus commendis et provisionibus apostolicis aut litteris derogatoriis huiusmodi etiam quasvis censuras et penas in se continentibus parere minime teneantur ac quod statutis privilegiis et indultis supradictis etiam per quascunque litteras apostolicas etiam derogatorias et insolitas clausulas in se continentes derogari aut illorum effectus impediri non possit nec derogatum censeatur nisi huiusmodi derogatio consistorialiter facta et per diversas litteras patri Abbati pro tempore existenti Monasterii Cisterciensis Cabilonensis dioc. et Capitulo generali dicti ordinis ac Diffinitoribus eiusdem Capituli etiam cum certi temporis intervallo intimata fuerit et si illis derogari contingat etiam cum eorum insertione derogatio huiusmodi nisi de consensu Abbatis pro tempore existentis et dilectorum filiorum Conventus dicti Monasterii Cisterciensis facta fuerit nulli suffragetur. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscunque. Aut si pro alio vel aliis in eodem Monasterio sancti Thome scripta apostolica forsan sint directa Seu si Conventui dicti Monasterii sancti Thome et vassallis ac subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim tibi ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem prefate sedis habente munus benedictionis postquam habitum susceperis et professionem antedictos emiseris libere recipere valeas Ac eidem Antistiti ut illud tibi impendere licite possit concedimus per presentes Volumus autem quod propter commendam huiusmodi commenda illa durante in eodem Monasterio sancti Thome divinus cultus et solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur sed eius ac ipsorum illius Conventus congrue supportentur onera antedicta Quodque antequam regimini et administrationi prefatis in aliquo te immisceas ratione commende huiusmodi in manibus Archiepiscopi et Vicariorum predictorum seu alicuius eorum prestes et idem Antistes qui tibi predictum munus impendet postquam illud impenderit recipiat a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam. Ac formam iuramenti huiusmodi quod prestabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuntium quantocius destinare procures. Ac quod infra dictos sex menses habitum suscipere ac professionem antedictos emittere necnon postquam eandem professionem emiseris seu habitum professorum susceperis et illum per triduum scienter gestaveris vel etiam antea si constiterit te vitam absolute mutare velle omnia et singula beneficia ecclesiastica per te tunc obtenta dimittere seu omni iuri tibi in eis vel ad illa quomodolibet competenti cedere omnino tenearis. Alioquin ex tunc beneficia et ius ac nisi professionem predictam ut prefertur emiseris lapsis dictis mensibus sex Monasterium sancti Thome huiusmodi vacare eo ipso. Et insuper ex nunc irritum si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit irritum et inane decernimus. Dat. Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquingentesimo septuagesimo Decimo Kl. Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

Cx

De Pirotis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853332607-11/fragment/page=0001

B n° 1

1570.

Morbio 28 (59).

A. Thom^s Marciana

Registrat. in Cam^ra ap[osto]lica

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853332607-11/fragment/page=0002

contrariis quibuscumque. Aut si pro alio vel aliis in eodem Monasterio sancti Thome scripta apostolica forsan sint [illegible]
ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite c[illegible]
gratiam et communionem prefate sedis habente munus benedictionis postquam habitum susceperis et profess[illegible] [...]pere valeas. Ac eidem Antistiti ut illud tibi impendere licite possit concedimus per presentes. Volumus autem
quod propter [illegible] huiusmodi commendam illa durante in eodem Monasterio sancti Thome divinus cultus e[illegible] [...]nerius nullatenus minuatur sed eius ac ipsius illius Conventus congrue supportentur onera antedicta. Quodque an
te qua regimini et administrationi prefatis in aliquo te immisceas ratione commende huiusmodi in manibu[s] [illegible] [...]n alicuius eorum prestes et idem Antistes qui tibi predictum munus impendet postquam illud impenderit recipiat
a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam quam sub bulla[illegible] [...]am iuramenti huiusmodi quod prestabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas
per proprium Nuntium quantocius destinare procures. Ac quod infra dictos sex menses habitum su[illegible] [...]mittere necnon postquam eandem professionem emiseris seu habitum professorum susceperis et illum per
tuendum scienter [illegible] vel etiam antea si constiterit te vitam absolute mutare velle omnia et s[illegible] [...]ne obtenta dimittere seu omnino ius tibi in eis vel ad illa quomodolibet competenti cedere omnino tenearis. Alioquin
ex tunc beneficia et [illegible] ac nisi professionem predictam ut prefertur emiseris lapsis dictis mensibus sex [illegible] [...]vacare eo ipso. Et insuper ex nunc si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari
contigerit irritum et inane decernimus. Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis [illegible] [...]entesimo septuagesimo Decimo Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.
Cx —

No: P. Ximenez.
A. Vers

A. Sforcia
[illegible]
M. Ubaldinus

D. Stella pro Communi [illegible] 32. Julii 5.
D. de Puoti [illegible] 16 [illegible]
[illegible] Ruting :–

Alex. Max. pro co[illegible]
M. Ang[illegible] 32 Julii 5

Antonius Collignon Pro [illegible]
Eusebius de [illegible]

C. Sauli [illegible]
C. de Pichis

[illegible]

Barenc[illegible]us x

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853332607-11/fragment/page=0003
DFG